Zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

des hiesigen

Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche zum Beschlusse des Schuljahres

am 29. und 30. März

im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,

so wie

zu der Redeübung am 31. März

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Carl Schönborn,
Rector und erster Professor.

I. De Hesiodi operibus et diebus disputatio, verfasst vom Oberlehrer Dr. Lilie.
II. Schulnachrichten, verfasst vom Rector.

Breslau 1849.

Druck von Grass, Barth & Comp. in Breslau.

DE HESIODI OPERIBUS ET DIEBUS DISPUTATIO.

Hujus libelli finis est, ut declarentur, quae sunt in Hesiodi Operibus et Diebus de divinis humanisque rebus sententiae. Hae tamen sententiae arte et ratione proponi non poterunt, ut, ad unam omnes inter se aptae et connexae, absolutam doctrinam efficiant: primum, quia carminis nostri brevitas tali doctrinae satis materiae vix praebeat, tum, quia certae causae erant, cur id a poeta fingeretur, ut, nisi quod cum his aliquo modo cohaereret, locum habere non posset, certe non posset, quod perfectae rationi conveniret. At ne ita quidem hoc accipi velim, ut Hesiodus plane exuisse existimetur illud, quo antiqui poetae a nostris differunt, quodque in eo, qui Hesiodo proxime antecedit, Homero, potissimum cernimus, illud, inquam, ut, quamvis dediti singularibus suis rebus, quas describere consilium est, ceteris tamen omnibus, vel divinis vel humanis, quacunque oblata occasione animum oculosque aperiant. Propterea neque Hesiodi sententiae et opiniones omnino singulares privataeque putandae sunt, sed universae alicujus aetatis, quam ex Operibus et Diebus aliquo modo cognoscere licebit. Inesse autem in carmine nostro praeter ea, quae ad ipsum auctorem ejusque fratrem pertineant, non pauca, quae ultra domesticos parietes et vitae laboriosae consuetudinem serpant, quaeque cognosci omnium saeculorum maxime intersit, quum alia argumenta sunt, tum nobiliores illi loci, ubi de peccati et de mali inter homines origine, de pristina eorum beatitudine ac de daemonum intercessione agitur. Tales enim quaestiones ab omni usque aeternitate hominum animos maxime occupaverunt semperque occupabunt.

Jam vero quaeritur, carmen nostrum num et ea integritate ad nos pervenerit, ut universae cujusdam aetatis sententias et opiniones eo contineri, judicare possimus. Atqui fusius hoc loco enumerare, quae Operibus et Diebus temporum cursu acciderint, supersedeo, quoniam illa satis comperta sunt. Pauca tamen non supervacaneum erit attingere, quae aut a causa nostra sejungi non possunt, aut ab aliis non ita observata mihi esse videbantur. Ac primum quidem compertum est, Hesiodi Opera et Dies non plane sic a nobis nunc legi, quemadmodum a poeta olim ficta sint; sed quantum aut quo tempore aliena ceperint, aut sua amiserint, id non consentiunt. Verum ut non omnia sint Hesiodia, tamen, quae est carminis nostri natura, plus additum quam demptum esse, consentaneum est. Quae autem

addita sunt, poterant illa quidem turbare sententiarum nexum et ordinem, ipsas sententias tollere non poterant. Poterant vero hae amplificari fusiusque explicari, ut fere fit ab insipientibus interpretibus, atque id eo magis, quum addidamenta illis temporibus fierent, quibus sententiarum illarum fontes in animis hominum nondum exhausti fuerunt. Huc accedit, quod ex eo tempore, ubi primum carmina Hesiodia collecta fuisse constat, his non ita multa interpolata esse videntur, quod facile intelligi potest, quum manuscriptorum vel recentiorum lectiones comparantur cum iis locis, qui, ex Hesiodo petiti, in veterum scriptis passim leguntur. Postremo et antiquioribus jam temporibus sententiarum, quae in Operibus et Diebus reperiuntur, quendam consensum animadversum fuisse, consentaneum est, quoniam Opera et Dies in docenda Atticorum juventute satis mature adhibebantur.

Verumtamen recentiorum nonnulli ut iniquius de carminis nostri integritate judicarent, temeraria carminum Homericorum comparatione factum esse videtur. Nimirum in his pleraque bene inter se apta et connexa reperiebant, quum rerum ipsarum conjunctio enarratarum certam sententiarum convenientiam aptosque ad alias transitus efficeret. Quod longe aliud est in Operibus et Diebus. In his enim partim proponitur, qua ratione hominum animus res, a consuetudine oculorum sejunctas, comprehendere inchoaverit: partim ea, quae ad vitae domesticae usus necessaria sunt, praecipiuntur. Talia autem de diversissimis rebus praecepta nullo saepe filo inter se connecti, haudquaquam mirum est. Cavendum igitur, ne, sicuti minus apte progreditur oratio, protinus aliquid intercidisse vel aliena manu interpositum esse putetur. Non minus profecto Operum et Dierum integritati ii detraxerunt, qui subtilem rerum et sententiarum ordinem ubique requisiverunt, quam illi, qui lacunas temere divinaverunt.

Deinde Homeri comparatio carmini nostro hanc quoque injuriam affecit, ut, quum apud illum ad oculorum consuetudinem omnia reducerentur, apud Hesiodum etiam nihil paterentur, quod acutioris cogitationis animique, a sensibus revocati, esse videretur, quippe id recentioribus temporibus, rerum usu et experientia ad majorem judicii subtilitatem excultis, convenire judicabant. Sic verbi causa si quo Operum et Dierum loco nimium propriae utilitatis studium prodi videbatur, ibi interpolationem, recentiore aetate factam, protinus suspicabantur. Scilicet Homericae vitae magnificentiam apud Hesiodum, ut illum aetate subsequentem, desiderantes, illa angustioris vitae vestigia antiquo splendori aliena esse arbitrabantur. Quod tamen ita esse, nisi gravioribus argumentis accedentibus, comprobari non poterat.

Postremo erant, qui in judicando carmine nostro nimium tribuerent veteri opinioni, uno virorum doctorum consensu firmatae, per omnes Graecorum litteras Doricam quandam consuetudinem ac rationem a Jonica perspicue differre. Quam differentiam etsi veram esse nemo facile negabit, non minus tamen concedendum erit, juxta illam esse quandam Jones inter et Dores similitudinem, ipsa origine et cognatione ortam. Quae si nulla esset, qui fieri potuisset, ut et Jonicorum et Doricorum scriptorum suavitas mirabilisque voluptas ab omni nomine Graeco pari studio perciperetur? Quamobrem quum non minus sit comperta aliqua utriusque rationis similitudo, quam differentia, quum vero, quousque utraque serpat, multis locis dijudicari vix possit, sola vel Jonica vel Dorica illa ratione uti tanquam norma, qua in carmine nostro, quid sit Hesiodium, quid non, judicetur, periculosum haberi debet, nisi forte aliis rebus idem judicium efficitur et cogitur. Quis autem est, quin de praeclara hiemis

descriptione, quam aptam Jonicae consuetudini, Hesiodo Dorico minime convenientem nonnulli existimant, cogitare me sentiat?

Jam si haec, quibus similia addi facile possunt, bene perpenduntur, nonnulla in Operibus et Diebus parum recte Hesiodo abjudicata esse, consentaneum est. Quae quamquam longius exponere nunc meum non est, id tamen tenendum erit, carminis nostri nec eam principio esse indolem, nec adhuc mansisse conditionem, qua aliquem sententiarum et opinionum consensum in eo cognoscere cognitumque describere prohiberemur.

At ne quid nimium obtinere videamur, ut carmen nostrum longinquitate temporis aliquantum laboravisse concedatur, eas tamen partes, in quibus morum descriptio versetur, integras esse putandas, ad unum omnes consentiunt. Hae autem in rem nostram prae ceteris adhibebuntur. Sed quae sint de rebus divinis humanisque in Operibus et Diebus sententiae atque cogitationes, quamquam alii complures ante me explicuerunt, eorumque pars omni doctrinae laude insignes, eandem rem retractare vix inutile esse videatur. Primum enim plenam carminum Hesiodiorum intelligentiam ad cognitionem aetatis, Homericam proxime subsequentis, usque ad olympiadum initium plurimum conferre, extra omnem dubitationem est. Propterea quo plures suis quisque viribus hanc rem illustrare conabuntur, eo pleniorem inde lucem aliquando orituram esse, sperari poterit. Tum qui ante me huic rei operam navabant, eorum alteri, ut universe loquamur, carminis nostri integritatem prius restituendam esse rati, nihil fere, nisi interpolationes aucupabantur; alteri, sed ii pauciores, offensiones atque impetus repulsuri, omnia bene inter se connectere ac subtilem ubique sensum effingere studebant. Quae cura etsi pluribus locis eruere poetae sententias atque explicare coegit, earum tamen summa universaque species in medio relinquebatur. Mihi vero in animo est efficere, ut Hesiodiarum sententiarum opinionumque, si qua erit, universitas in uno conspectu proponatur. Nunc tamen, theogonia omissa, Opera et Dies unice considerare placuit, quod cur factum sit, quidque habere commodi mihi persuadeam, alio loco dicere consilium est. In hac autem quaestione solvenda ipse eam normam mihi proposui, ut potius assumerem locos, paulisper dubios, quam levioribus causis addubitatos rejicerem. Leviores autem causas dico, quae non tam ab incorrupto mentis judicio, quam ex praejudicatis opinionibus ducuntur.

Sed quia ne nostra quidem res sola mentis acie agi semper poterit, sed propter argumentorum, ex ipsis rebus petitorum, inopiam animi quaedam divinatio admittetur, duplici metu angi animum sentio, uno, ut verum nonnunquam assequar, quoniam, quae ex interiore animi sensu hauriuntur, sejungi ab omni ambiguitate non possunt, altero, ut, quae vera invenisse mihi visus sim, quibusdam earum rerum judicibus persuadeam. Nihilo minus tamen rem suscipere audeo. In tractandis enim veterum scriptis satis multae obveniunt quaestiones, quae sub mentis judicium, rebus ipsis firmatum, non cadunt, tamen solvi aliquo modo debent. Sunt autem eae, in quibus, destituti vel rebus ipsis memoriae traditis, vel argumentis inde necessario conclusis, ad illum recti verique sensum, omnibus omnium gentium hominibus communem, judicium dirigamus. Ex eodem sensu naturali omnino fieri censemus, ut nunc possimus intelligere in antiquissimis scriptis non solum ea, quae oculis et auribus capiuntur, sed etiam, quae intimo animo recondita continentur. Atqui eo facilior certiorque ejusmodi divinatio erit, quo propius ad veram naturae simplicitatem illi mores accedunt, de quibus judicium ferendum est. Proxime autem accedere Operum et Dierum indolem ad naturae

simplicitatem, inde conjicere licet, quod haud contemnendi earum rerum judices Hesiodum aut ante Homerum, aut ejus aequalem fuisse, affirmare non dubitaverunt. Denique ad proprii judicii auctoritatem, nullis testimoniis firmatam, nonnunquam confugiendum erat, si duae res, invicem, ut videbatur, sibi contrariae, media interposita inter se conciliari et facile connecti posse existimabam.

A. DE REBUS DIVINIS.

I. Divinitas et rerum universitas inter se conferuntur.

Operum et Dierum dii, ut cetera, orti atque nati putantur: Jupiter enim ab omni aeternitate nec exstitit, nec omnium rex fuit. Ante eum Saturnus regnavit 111, a quo gentilicium illud nomen Cronides accepit. Neque fuerunt omni tempore Olympii reliqui, quorum pater Jupiter appelletur. Ita jam intelligitur, in Operibus et Diebus extra mundum non esse deum.

Atqui ut Jupiter ceterique dii orti natique sunt, sic finibus mundi, quem oculis cernimus, eorum potentia circumscribitur, ac naturalium rerum domini tantum existimantur, quantum cum humanis rebus eae rationem habent; reliqua natura sui juris est suamque legem constanter sequitur, a diis non facile contemtam. Namque hi, ut reperisse certam mundi naturam describuntur, sic stare et valere eam patiuntur, nec procreantes novas rerum formas, nec abrogantes veteres. Montes, maria, silvae, fluvii, quemadmodum ante Jovem necessaria lege exstiterunt, ita sub imperio ejus iidem manent, ceterarum rerum quum terrestrium, tum coelestium mutationibus non tacti: item sol, luna, tempestates, fulgura.

II. Divinitas et rerum sub sensum cadentium natura inter se conferuntur. Terra quamquam ab universo mundo aperte distinguitur, in hoc tamen principem locum obtinuit atque ab hoc immensitatis nomen ad se transtulit 486. Universum autem illud distinguitur in superum et inferum, in lucem et tenebras, solidum et liquidum, aërem et aetherem, in altum et profundum, quae distinctiones eaedem ad orbem terrae pertinent, cujus tamen is principatus est, ut in eo, quasi in theatro, humanae res accidant et agantur. Hinc liquet, in Operibus et Diebus universi mundi speciem paulisper recessisse: hanc terram, tanquam naturalem domum, a diis hominibusque habitatam, priorem locum habere, indeque eam speciem effici, ut tota terra ad deorum hominumque usum et voluptatem facta esse videatur.

Jam vero dii etsi nec sunt rerum naturalium creatores, nec sua quisque naturalis vis, humano corpore vestita et personae specie praedita, singulae tamen res naturales a diis ad libidinem moventur, temperantur, diriguntur. Dominus est certus deus, Jupiter, in superis locis, habitator summae arcis 8; dii plerique habitant in beatis Olympi sedibus 110, 139; infera loca habet Pluto 153, qui et Jupiter inferus nominatur 465. Sol moderatur luci 155, divina quae nominatur 329, frigoribus 414, 575; nec minus noctes sacrae diis sunt, lucibus contrariae 730, unde etiam laudanda ἔρις illa originem ducit 17, bona contentio. Ipsa terra sacra, quippe quae divino numine perfundatur, sacrae etiam singulae ejus partes, ut Graecia 152; eadem, mater omnium 563, nutricis personam, Cereris, sortita est 510, 805. Atque ut omnia alit et auget terra, sic vicissim removet et abscondit, quaecunque in luce manere ne-

fas est 140. 155, et id quidem Jovis voluntati obnoxia. Hoc autem juxta almam lucem noctis tenebrarumque quasi jus observatur, ut Jupiter nocte non minus, quam luce in mortalium utilitatem indigeat. Quod enim laboribus dies fatigavit et confecit, id nox somno et quiete recreat et resuscitat 560. In tenebras autem subterraneas non descendunt solum omnia et absconduntur, sed escendunt et produntur etiam semina: omnium terra et cunae rerum et sepulcra putantur.

Porro maris imperium vel maxime penes Neptunum est 663; regionis aëriae eorumque, quae in ea accidunt, penes Jovem. Is in summo aethere versatur 18, dat imbres 416, 488, 626, 675, tonitrus 53, 79, 99 ac singulis diebus frigora impertit 565. Dii denique, si quando sese cerni a mortalibus nolunt, nebulis ad dissimulandum utuntur.

Quin etiam ad bestias vis Jovis serpit, quum hanc consuetudinem iis constituerit, ut invicem in se violentae essent seque devorarent.

III. De singulorum deorum conformatione.

Divinae potentiae summa nunc penes unum Jovem esse, nunc per singulorum ordinem deorum dispertita fingitur. Tamen eadem morum utrimque observatur ratio atque dignitas, ut in regendis rebus humanis modo Jovi soli, modo universis diis, modo singulis, moderationis partes tribuantur. Ubicunque autem deos inter se conferendi aliquod consilium est, earum primariae Jovi conceduntur.

Summus igitur Jupiter et potentissimus deorum: is non solum suam sibi aëriam regionem regnat, sed ad ceterorum deorum regiones liberum aditum habet. In medio quasi universi mundi loco Jupiter sedem habet, unde totum rerum circuitum omnemque cursum prospiciat. Sic ille mortalibus pro arbitrio bona malaque impertit 3, quod idem 12 ab omnibus diis deorumque consilio fieri memoratur; nunc Jupiter 239, 245, 284, 285, nunc dii 82, 324, 741 vitiorum poenam in hac terra constituunt; 267, 272, 243 Jupiter justitiae custos praeficitur, 250, 324 dii; hi 718, 637 ille egestatem hominibus imponunt. Aedos et Nemesis 199 ad deos, 122 ad Jovem Dice, quae nominatur, hominum vitiositatem aegre ferentes, refugiunt. Horae deinde 75 quamquam diebus, certo consilio terminatis, praesunt, tamen et Jupiter sexagesimum illum cum frigoribus diem educit, atque secundum 765 a Jove fiunt dies, quos diligenter observari oportet. Genus illud aureum et argenteum ab immortalibus diis esse procreatum, 109 et 128 commemoratur, sub terram mersos vel in beatorum insulas translatos generum omnium aequales a Jove. Eadem ratione Neptunus, etsi maris principatum habet, cum Jove tamen una 667 naves percutiunt, ac rursus idem 247 Jupiter solus efficit. Sunt quidem Notus 675, Zephyrus 594, Boreas 506 venti iidemque dii, qui miseris nautis parcunt 645, sed 675 Notus cum imbribus Jovis mare exagitant. Deinde Jupiter 239, 769 et saepius rex omnia gubernans et pater deorum hominumque appellatur; 669 tamen praeter Jovem Neptuno aliqua bonarum et malarum largitio fortunarum conceditur. Denique ut Jovi, sic ceteris diis, non lauta manu vinum fundere 725 nefas est, atque ut 99 a Jove mortalibus ex Pandorae dolio omnium malorum multitudinem inque his maximum, improbum laborem, impositum esse dicitur, sic 41 deos etiam mortalibus escam penitus abscondidisse, id est laboriosae agriculturae necessitatem imposuisse, 398 vero eosdem hominibus laborandi officium injunxisse commemoratum est.

Praeest etiam alendis tuendisque terrae frugibus peculiare numen Cereris: cultura agri „Cereris opera" nominatur deque sacro Cereris nucleo 466, 597, 805 mentio fit. Sed primum praeter illam ipsa terrae vis tanquam communis omnium mater ex stirpibus stirpes profert, propter quod beneficium *πουλυβότειρα* nuncupatur. Deinde is, qui in serendo desudavit, praeter Cererem, legitimam deam, Jovem etiam inferum precari debet 465, ut sit propitius. Denique 474 item Jupiter ipse ille superus demonstratur, qui alat et augeat fruges, qui 243 famis poenam impietati humanae, justitiae praemium fecunditatem 229 constituat.

IV. In Jove divinitatis summa est.

Quamquam igitur ex Operibus et Diebus non perspicue intelligitur, reliquorum deorum quatenus potentia pertineat, id tamen certum est, Jovem omnium principem et potentissimum esse. Ille deorum hominumque pater est, ab illo rectorum judiciorum praestantia repetitur 36; Dice ipsa, illius filia 256, quum reliquis diis veneranda est 257, tum 259 patri soli iram ulciscendam permittit, si quando ab hominibus impiis contemnitur. Jupiter prae ceteris Promethei fraude decipitur, deos in perniciem hominum Pandoram decorare jubet, terramque et mare 101 malorum multitudine ita complet, ut nemo ultionem suam effugere possit 105. Idem quemadmodum justitiam hominibus tribuit, summum bonum, sic hominum maxime interest, ut ejus mentem cognoscant, quippe unde humana et salus et pestis proficiscatur. Atque illam quidem mentem cognoscere difficile habetur 483, quare spes tanquam ultima hominum ratio in Pandorae dolio unica resedit 99. Idem ille Jupiter, quem omnia cernere 267, nihil autem latere, aperte dicitur, prae ceteris diis idoneus est, qui justitiam servandam curet 268, 256, 272, 281, et quoniam is omnium rerum gnarus est, ad prospiciendas omnes res maxime item idoneus.

Itaque Jupiter defunctos aurei generis aequales hominum tutores facit 253. Jovis arbitrium tum punientis, 99, 222, 229, 239, 245, tum gratificantis 222, 229, 281, 284, 285 gravissimum est. Jupiter totius hominum vitae compos est propter id, quod apud ipsum est, quam vim singuli dies in eam exerceant: ipse enim suam cuique diei sortem ac fortunam attribuit 765. Jupiter si quae interire debent, sub terram mergit 122, 138, 156, heroum genus in insulas beatorum transponit, atque, quod omnes res generat, idcirco ipsius etiam est, nova genera educere, ex quo quidem tempore summum imperium adeptus est.

V. Dii qua ratione sub sensum vocentur.

Jam vero agendum est de deorum personis, quae in Operibus et Diebus animadvertuntur. Deorum personam autem intelligimus naturam divinam aliquam, ad hominis similitudinem corpore vestitam corporisque affectibus et libidinibus praeditam. Ac pleniorem quidem humanitatem certioremque figuram Jupiter exhibet, quamquam haec similitudine illa, Homeri ingenio effecta, longe superatur; reliqua autem numina, quo ad siccam cujusdam animi interpretationem propius accedunt, eo longius a plena hominis figura recedunt. Ita Spes et Fama, quamquam personae passim a poeta inducuntur, nihil fere cum corporis natura commune habent, nisi quod in utraque animus et cogitatio dominatur. Nam si quis dicit, Spem fallere aliquem, vel largiri quid, vel falli, vel cetera his similia, eo quidem Spei aliquid corporis humani attribuit, quod nihil rerum humanarum perfici sine aliqua corporis intercessione potest. Sed quod Spei personae desunt aures, oculi, certi motus, figura, reliqua, sine quibus verus homo cogitari non potest, eo Spes Hesiodia ab humanitate procul depellitur. Idem de Fama aliisque numinibus divinis, quae sunt in Operibus et Diebus, memorari potest.

Ex omnibus igitur diis maximam humani corporis conjunctionem Jupiter habet. Is enim quum patrem Saturnum habet, tum Minervam et Justitiam filias, diis autem reliquis hominibusque providet ita, ut sine suis quibusdam membris cogitari non possit. Habet deinde vitae Jupiter non solum praesentiam, qua omnia ubique curat et agit, sed etiam ante actae futuraeque partem, cujus quidem haec altera providentiae universae cura expletur, illius, quamquam non admodum copiosa descriptio, certa tamen significatio reperitur. Reliqui dii et ipsi humanitatis similitudinem habent, sed eam non tam a corpore, quam ab animo et cogitatione petitam. Quare huic nostro consilio aptissimum erit, lustrare primum, si quid forte in iis corporeum est, deinde, quid ab humana mente et animo traxerint, quam brevissime notare.

Minerva igitur eleganter fabricare et artificiose texere homines docet 63, bonusque faber servus ejus 430 nominatur. Latona partu edidit Apollinem. Argi interfectorem tanquam nuncium et interpretem deorum Jupiter 67, 80 Epimetheo misit. Hesiodum Musae 659 ad luculenter canendum perduxerunt divinumque carmen fingere 662 docuerunt: has carminis nostri initio poeta alloquitur. Venus 65 Pandorae caput venustate et amoris desiderio circumfundere 521, Vulcanus terrenum et humidum commiscere humanamque vocem addere a Jove jubentur. Justitia 222 nunc animo solo et cogitatione comprehenditur, nunc et membra nanciscitur: ea enim lacrimans per urbem ac domicilia civium incedit, nebulis circumfusa, bona impertiens ac mala iis hominibus, qui ipsam neglexerunt, et quamquam genuina Jovis filia non paucis locis nominatur, non minus multis, ut 278, mera animi significatio accipitur. Idem dicendum erit de illa Hesiodi dea, quae Aedos graece appellatur, quaeque 198, Nemesi comitante, ab hominibus in deorum conventum, venustum corpus candida veste tegens, discedit, sed et ipsa nonnullis locis nihil nisi figurae humanae umbra effingitur. Huc etiam pertinent, quae 804 de Eridis numine, 609 de Orione et Sirio, quaeque 615 de Plejadibus Hyadibusque commemorantur. Nihil vero nisi animorum cogitationumque simulacra, in figurae umbram translata, Horcus et Eris 804 et 11, Charites et Pitho 73, Elpis 96, Erinnyes 803 finguntur.

Famam denique illam quum legimus 760 esse validam promptamque in altiorem dignitatis et opulentiae gradum hominem evehere, nec tamen minus tardam ad depellendum abolendumque, ita ut nunquam ea plane evanescere possit, item quum eam a permultis populis divulgatum iri et genuinam deam esse legimus — nonne fabrica illa, ut ita dicam, aperiri nobis videtur, qua deorum personae finguntur et in lucem prodeunt? Similem prorsus rationem Homeri Ossa habet.

VI. Quales sint deorum mores.

Verum quo minus a corpore dii Hesiodii traxerunt, eo plus ab animi dignitate morumque probitate. In tuenda enim et promovenda omni justitia mirabilis eorum consensus est, neque ea solum inter homines, verum etiam, quod apud Homerum non ita est, inter deos observanda esse putatur. Namqne secundum Homerum morum integritas, justitiaeque sanctitas hominibus quidem summe convenit: apud Hesiodum perspicue declaratur 276, hoc esse bestiarum inter et hominum naturam discrimen, hominibus quod justitia conveniat, bestiis vis et feritas. Hanc autem rationem et consuetudinem Jovem ipsum utrisque praecepisse, belluis aquatilibus, terrestribus, volatilibus, ut invicem se devorarent, hominibus, justitiam ut colerent, omnium virtutum praestantissimam. Quemadmodum igitur apud Homerum deorum, hominum ceterorumque animantium naturae non ita arctis finibus terminantur, sed quodam modo confusae

commiscentur, sic in Operibus et Diebus accuratius distinguuntur, id quod in judicandis moribus magnum momentum habere, facile intelligitur. Sanctiores autem carminis nostri mores ex iis, quae sequuntur, magis etiam elucebunt. Nam primum deorum adversus homines ira et inimicitia ex hominum malitia et insolentia 333 oritur, maxime ex Promethei 47, eorum gratia et amicitia ex hominum bonitate, verecundia, temperantia 120, 300. Atqui dii beatam quidem vitam agunt 139, curis vacui, remoti procul a laboribus et aerumnis 112, nec ii tamen deliciarum voluptatumque justo avidiores. Tum dii coli se ab hominibus et hunc cultum sacris caerimoniisque rite declarari cupiunt 726; argenteum enim genus Jupiter propter id solum 138 abscondidisse dicitur, quod diis sacra non fecerint. Sed, quod primum hoc loco attendi oportet, non suam sibi Jupiter dicitur ulcisci injuriam solam, sed communem deorum. Deinde 134 aperte significatur, non neglecta solum deorum sacra illius ultionis causam fuisse, sed universam hominum in homines insolentiam. Dii denique, ab Hesiodo introducti, in hominum sacris haudquaquam considerant, quam sint ea magni aut parvi pretii; sed quum iis, quae pro viribus offeruntur, contenti sunt 336, tum in hac re admonitio illa maximam vim habet, ne quis nisi ἁγνῶς καὶ καθαρῶς sacra facere audeat. Referri enim hoc loco ἁγνῶς ad animi sanctitatem sacrificantium, καθαρῶς ad decoras corporis munditias, quis est, quin facile videat? cf. 725.

Deorum autem, qui sunt in Operibus et Diebus, societas praeter suam beatitudinem hominumque usus et commoditates, ex morum sanctitate percipiendas, nihil omnino curat. Est quidem Jupiter Olympiae civitatis rex, sed reliquam civitatis formam si quaesiveris, certos sane potestatis gradus, certas leges, certam omnino publicae rei curam atque studium desiderabis. Neque tamen hominum, qui sunt in carmine nostro, alia est societas. Hi enim vitae usus et commoditates sibi comparavisse ac futuro tempori aliquid providisse, satis habent, a legitima civitatis forma rerumque publicarum cura et ipsi prorsus alieni. Hinc nullam in carmine nostro de summo imperio coelesti aemulationem aut controversiam deorum reperies. Jupiter sine ulla dubitatione deorum potentissimus habetur; quin etiam reliqui dii, etsi suam quisque habet regni partem, qua Jovis principatum certis finibus circumscribi putes, tamen multis locis suum jus suamque potentiam Jovi cedunt, non prodito ullo aemulationis sensu. Quod ita esse, quum ex iis, quae supra de deorum potestatibus dicta sunt, facilis conjectura est, tum maxime ex iis, quae infra de civitate Hesiodia memorabuntur, perspici poterit. Quare hac de re satis erit addere, homines opiniones, ex suis rebus perceptas, ad deos transtulisse, et ita factum esse, ut maxima ubique inter utrasque similitudo oriretur.

Jupiter propterea, deorum hominumque dominus, apud Hesiodum instar patris est humani, magnae familiae caput, qui, quod curare ipse cunctas res domesticas non potest, idcirco alii suorum aliud negotium mandat, sed omni temporis momento plenam omnium rerum potentiam se habere atque posse exercere, quum placuerit, sibi conscius est. Quemadmodum autem filiorum vel servorum non est contra dicere, quum paterfamilias munus demandatum sibi reposcit, sic ille pro arbitrio potestatis paternae partem alteri cedere non veretur. Similiter prorsus ut patris nec certis legibus dominatus terminatur, nec praemeditata ratione exercetur, sic Jupiter simul cum agenda re ipsa agendi legem et omnis gubernationis rationem sibi reperit. Nec ejusmodi quidem lex et ratio quidquam constantiae aut quidquam aeternitatis habet, nisi quum ad moderandos mores eae spectant, sed cum rerum vicissitudinibus flectuntur et mutantur. Vera lex

autem et actioni humanae apta rationem perfectam constantiamque habeat oportet: in tali lege humanae virtutis praestantia unice nititur. Ad perfectam autem rationem, quaruncunque rerum causam et fontem, nec Homerici nec Hesiodii homines mente jam pervenerant. Attendas quaeso Jovem Hesiodium, ut, qualis sit ipse mundi administrator, qualis morum praeceptor et vindex, intelligas. Nimirum Jovis illius ratio, haudquaquam provida omnis aeternitatis, eas res tantummodo comprehendit, quae in oculos incurrunt. Hinc fit, ut Jupiter, quum in rebus ante pedes positis et naturali vinculo inter se connexis versatur, nec cogitando, nec agendo erret, quum autem in remotioribus aut sibi repugnantibus, misere peccet et labatur. Quod Promethea fabula confirmari videbis. Hac enim Jupiter Promethei fraude primum decipitur, quod et ipsum prudentis non est; deinde, quod humana consuetudine proximum est, ultionem meditatus satis callide Pandorae dono exsequitur: attamen mortales, quamquam Promethei culpa puniti, et erepto igni laetantur, nec Jovis gratiam omnino amittunt. Permanet ejus in mortales benevolentia, permanet praesens auxilium, ut iisdem malis liberare saepe eum mortales, quibus ipse olim oneraverat, existimare cogamur.

Talis quaedam Jovis inconstantia et temeritas, quae aliis locis infra confirmabitur, similitudinem hominum presse sequitur, qui, quamvis virtutem vehementissime appetant, saepissime tamen peccant. Hi videlicet, quum procul a rerum turba tranquilla mente sunt, perfectae virtutis speciem, deorum beneficio acceptae, intimo animo fovent; quum autem agendi contentionibus, qum cupidatum furore corripiuntur, tum, obscurata primum illa specie, veram viam amittunt et errare coeperunt. Simili ratione in carmine nostro Jupiter nunc sciens 267 omnium rerum fingitur, nunc Promethei fallaciis succumbit; nunc solus omnem potentiam habet, nunc reliquorum deorum et triginta millium daemonum opera ad curandas hominum res eget. Nunc generat ille quidem, nunc regenerat, unde non ita bene omnia fecisse eum, conjicere licet. Voluntas postremo Jovis sancta omnique justitiae dedita plerumque fingitur; sed quum solitariae Promethei culpae ab universo genere humano immerito ac temere poenas repetierit, per omnem ejus naturam serpit quaedam conscientiae vis, qua homines omnibus, quarum ipse auctor fuit, miseriis, levare debere videatur. Atqui quod humani patrisfamiliae similitudinem in Jove describendo supra persequi coepimus, mirum sane est, Jovem rem suam curare solitarium sine Junone matrefamiliae. Quae res effecit, ut apud Olympios vera consuetudinis et societatis jucunditas desideraretur, quae sine feminarum societate et matrisfamiliae moderatione esse nulla poterat. Postremo ut consuetudinis humanae cum Olympi institutis consensus perficiatur, quemadmodum in Operibus et Diebus maximam rei familiaris parsimoniam mortales observant, sic in Hesiodio longe aliter atque in Homerico Olympo non epulantur, jocos non movent, fidibus non oblectantur, non denique conventus omnino habent, prorsus ac si Jupiter splendidioris et jucundioris vitae sumtum aut nolit facere, aut non possit.

VII. De fato.

Sed nunc de fato pauca dicenda sunt. Fatum autem, cujus Homeri carmina crebram et mentionem et intercessionem habent, in Operibus et Diebus angustiorem locum capit; quod mirum non est. Fati enim secundum Homerum quidem ea vis est, ut constantis sibi perfectaeque rationis vicem expleat. Homines videlicet omni tempore talem quandam rationem summum esse bonum et ad salutem suam necessariam existimabant. Quam diu autem suam plane facere eam non poterant, quia per innumerabilium seriem annorum cum universo ingeniorum cultu

gradatim adolescere perfectam rationem divinitus placuit, tam diu ultra humanitatem aliquo transferebant. Sed tamen ne dii quidem, ad humanam quippe similitudinem excogitati et figurati, illam habere totam videri poterant. Alio igitur numine opus erat, quod, immutabile et inflexibile ipsum, ad perfectae rationis naturam se dirigeret. Ita veterum hominum sensu et cogitatione natum esse fati numen videtur, cujus duae sunt necessariae res: incorrupta aequitas et potentia vinci nescia. Idcirco fatum Homeri nec corpore humano, nec ulla humanitatis similitudine praeditum est, ne scilicet cum ea humanam fragilitatem et vitiositatem indueret. Sed ex hac tanta ab omni humanitate distantia secutum est, ut parvarum rerum curam rejiceret fatum, unum id agens, ut intacti omnium rerum fines manerent et suum cuique jus servaretur. Ejusmodi autem cura in regenda heroum regumque vita in moderandisque regnis maxime agebatur; cetera ut viliora praetermittebantur. Atqui ab Homero ad Hesiodum fati numen vim naturamque suam nihil mutavisse, consentaneum est. Quare mirum non videbitur, quod in Operibus et Diebus fati vis admodum tenuis est. Nam quae vita, quaeque negotia hoc carmine describuntur, ea ipsa tenuia sunt fatique nobilitate parum digna. Ad serendas et percipiendas fruges, ad servandum et augendum patrimonium, ad liberorum, servorum conjugisque dominatum hominis ipsius mens et sollertia sufficere videbatur, aut, si forte vacillabat, praesentes ac legitimi dii in auxilium vocabantur. In tali vita nec ad gravissimos bellorum eventus aut incredibiles infestorum deorum interventus, nec ad magnorum regum pericula aut tristes regnorum ruinas unica fati aequabilitas et ferrea constantia, ne conturbata ruerent omnia, requiri videbatur. Ubicunque enim nulla negotia nisi pusilla incipiuntur, communis sensus et vulgaris mens opes necessarias suppeditare videatur, majora altiorem mentem requirere; ubi vero homines, insolito rerum maximarum studio correpti, virium humanarum modum excedere deorumque magnitudinem appetere conantur, ibi suo jure fatum intercedere putatur. Quare si cum insignibus tantum viris fatum rem habere, vulgum omittere, recte intelleximus, ab Operum et Dierum agricolis parcisque et angustis familiarum patribus fati numen ita recedere, ut ejus vestigia vix animadvertantur, non mirum videbitur. Neque tamen perfectae rationis vis illa, quam in fato esse docuimus, propterea evanuit, sed quum ad universam deorum societatem, tum maxime ad Jovem quasi hereditate transiit. Ita fati aequabilitas deorum justitiae locum cessit, severitas mansuetudini et misericordiae. Quamquam et praesens deorum intercessio in Operibus et Diebus multo rarior est, quam in Homeri carminibus, quod ipsum iisdem causis, quae supra memoratae sunt, explicari facile poterit.

Rarissima igitur in carmine nostro fati ipsius eorumque numinum, quae huic adjungi solent, vestigia reperiuntur. Versu enim 91 graves morbos *κῆρας* hominibus afferre, memoratur, *ἀκήριοι* deinde appellantur 823 dies, qui nec fasti, nec nefasti notantur; 765 admonitio est, ut dies divinitus notati *εὖ κατὰ μοῖραν* observentur, 745 vero nefas esse, *οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν*, dum bibatur: „*ὀλοὴ γὰρ ἐπ᾽ αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.*“ Sin id fiat, irasci deum, poenamque i. e. miseram aliquam sortem, impendere. Deinde 578 operosae vitae bene conveniens sententia legitur haec „*ἠὼς γάρ τ᾽ ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν*; nec tamen ea, nec quod 803 Erinnyes perjuria hominum ulcisci dicuntur, fatum Homericum portendit. Etsi enim ulcisci proprium fati munus est, illo tamen loco Furiae quinto mensis die hoc munere potissimum fungi dicuntur, ita ut ipsae Jovis imperio aperte subjiciantur, quum solius Jovis sit suam

cuique diei fortunam constituere. Ut denique prae ceteris fati Homerici est, universis rebus suum cuique terminum constituere, sic in nostro carmine Jovem ipsum id munus habere, opinio est. Nam ab eo et absconditi aurei generis aequales hominum tutelam, regia sors quae dicitur, acceperunt. Ac talem opinionem, quaeque ex ea sequuntur, si bene perpenderimus, fati Homerici vim et significationem secundum Operum et Dierum sententiam in Jove uno re vera confluxisse, melius etiam intelligemus. Namque in carmine nostro in cunctas res dominatur Jupiter, nisi forte ipsi aliquem deum advocare libet. Terrae omnes et maria, citerior et ulterior vita, infera atque supera, ei obnoxia sunt. Homericum fatum perfectae et absolutae rationis loco fuit; in Jove, nostro carmine efficto, vulgaris mens totius mundi est moderatrix. Haec autem et ipsa moderatio est, ne quid fines, naturae suae principio constitutos, transgrediatur. Quos quum quid transgreditur, talis insolentia, ὕβρις, a Jove punitur. Illa autem finium constitutio, quae ad divinitatem, humanitatem totamque rerum naturam pari ratione pertinet, in Operibus et Diebus μέτρον, ἦθος, νόμος appellatur, quae latinis vocabulis modestiam, consuetudinem, legem recte nominemus. Atque illa quidem consuetudo rerumque circumscriptio, ab infinita aeternitate translaticia, in Jove qualemcunque constantiam efficit. Huic enim legi quum omnis divinitas, tum Jupiter subjectus est, quippe qui et ipse, aliquo tempore et aliqua rerum conditione natus, huic annectere et accommodare suum imperium debeat. Quaecunque autem sunt, ea suum jus ac modum habent, quae observari vel per universum mundum, vel intra mores humanos, fas est. Ex his autem opinionibus Δίκη exstitit, cujus ea dignitas est, ut Jovis filia putetur: quousque Jovis imperium, eo Δίκης auctoritas valet, quin etiam reliqui dii eam colunt et venerantur 257; contra ubi forte inter homines translaticiae rerum mensurae non observantur, inde aut refugere eam, aut gravi poena impios delere, sententia est 222.

Sed principalis Δίκης cura est, ut humanitatis divinitatisque rationem, cognationem, matrimonium, senectutis hospitiique sanctitatem contra juvenilem lasciviam et peregrinitatis odium, omnium denique, natura quae fiunt, contra ea, quae humana sollertia patrantur, religionem defendat et tueatur. Harum alicujus rerum contemtio ὕβρις nominatur.

VIII. Deorum voluntas quo modo aperiatur hominibus.

Nunc ea aggredimur, quae de deorum voluntate ejusque cum hominibus communicatione dicenda sunt. Hic quoque Jupiter primas partes agit. Sed ne confundas quaeso cum hac voluntate illa, quae de incorrupta quadam Jovis aequabilitate supra commemorata sunt. Fuit talis omnino Jovi propria, dum is, omni singularium rerum humanarum cura exemptus, mente et cogitatione solum comprehendebatur. Aliud est, Jovem quum cogitant, diversissimis negotiis ad singularum rerum administrationem implicitum. Tum et ipsum ira et studio vacare non posse, ut est mentis humanae imbecillitas, opinantur. Utitur videlicet Jupiter sua mente ac voluntate, ad moderandas res et humanas, et non humanas pertinente, βουλή quae dicitur, vel φρένες 47, vel νόος 105. Haec autem βουλή nec declinari potest a quoquam, et ad perspiciendum difficillima est 484. Scilicet ea voluntas, quum supra rerum humanarum fragilitatem versatur, invictae constantiae gloriam facile retinet; quum autem per pusillam humanam vitam serpit, contagione vitiositatem accipit. Quamobrem inter diversas res optio si quando datur, tum ambiguam vacillare videbis eoque inconstantiae procedere, ut ne cum naturae quidem legibus consentiat. Hinc Jovem alio tempore aliam habere voluntatem, sen-

tentia est 483. Naturalem vim sane in usum suum Jupiter convertit: eadem tamen ipsius arbitrium nonnunquam coercetur. Nam etsi stabilis in Operibus et Diebus opinio est, certum serendi tempus esse constitutum, quod a Jove constanter observari videmus, is tamen insperatis imbribus, pro arbitrio missis, contra naturae legem 490 efficere nonnunquam potest, ut, si quis legitimum serendi tempus neglexerit, is tamen eodem, quo diligens agricola, operum successu laetetur.

Jam vero ut secundum Operum et Dierum opinionem deorum natura cum corpore humano admodum pauca communia habet, sic ibidem deorum praesentiae non tam externis corporis sensibus, quam interno animi sensu percipiuntur, factorumque ex diis hominum rarissima leguntur exempla. Haec vero carminis nostri opinio est, Jovem, sola benignitate ductum, leges et judicia eorumque interpretationes per naturam et humanam societatem suppeditavisse, ubi, vel perspecta hominum mente, vel non perspecta, vim suam exsequantur. Sapientes enim ex ipsis, quae ubique accidunt, rebus, ea cognoscent, insipientes non cognoscent. Neque tamen haec sola sunt, quibus vitae securae et felicis facultatem Jupiter mortalibus dedit, verum etiam alia praesidia gratificatus est. Post illa enim, quae humana mente perspici plane non possunt, non jam caeca aut prorsus fortuita sunt, ut nulla ratione in hominum utilitatem converti possint. Potius quum aut aperta Jovis voluntas, aut translaticia scientia, facile reclusa, hominem destituunt, tum omnia divinationis genera, omnia portenta attendi oportet, quae praeter illas leges et judicia, a Jove per universum mundum diffusa, latent: nam nec loci, nec tempora, nec somni, nec vigiliae, nec quaecunque ab hominibus ullo modo aut geri, aut fieri natura possunt, prorsus sine Jove esse existimantur. Sed illae res absconditae cujusdam sapientiae, vulgo autem praeclusae, esse putantur. Habes igitur opinionem, deorum sapientia humanam omnem longe superari, deorumque consilia captum humanum transcendere, nisi cui forte libera gratia signis quibusdam, in oculos incurrentibus, sint aperta. Ita qui probo labore ac studio consumpto rei eventum amittat, deorum voluntatem nulla ratione assecutus, eum a divino numine rejici opinantur, Jovis imperium autem justissimum omnino esse, utut in res humanas exerceatur. Atque hae quidem opiniones mirum in modum confirmantur iis, quae sub finem Operum et Dierum dicta sunt: solum hominem eum et fortunatum et beatum posse haberi, qui dies Jovis faustos quique contrarios cognoverit: eum posse solum diis immortalibus innoxium re vera probari; eidem tamen esse auspicia observanda ceterasque caerimonias et religiones colendas. Hoc igitur loco, quibus rebus Hesiodia probitas continetur, omnes deinceps enumerari videmur.

IX. De cultu deorum.

Sed pro eo, quod dii aliquam vim suam suamque voluntatem cum hominibus communicant, ipsi quum sacra ab iis reposcunt, tum, ut ipsis totos se dedant, i. e. ut *ὄπιν θεῶν* habeant. Atque id quidem *μέτρον*, is *νόμος*, id esse *κατ' ἤθεα* existimatur, negligere nefas, graeco vocabulo *ὕβρις*, insolentia, appellatur. Deorum autem cultus non unicis sacris declaratur; ad haec nisi accesserit vera animi pietas, fides, sanctitas, nisi, ut manus sacrificantis lavando purgatur, sic animus vera religione perfunditur, precantem dii non audiunt 726. Porro dii, quemadmodum non tum solum, quum sacra fiunt, quumque implorantur, sed omni temporis puncto hominibus adsunt aut ipsi, aut daemonibus, qui nebulis circumdati totam terram perlustrant, dimissis, sic homines, etiam quum sacra non faciunt et quum non precan-

tur, deos in animo habere debent, haud immemores, a Jove omnia cerni omniaque comperiri 267. Sempiternam autem deorum memoriam mortales tum comprobabunt, quum eorum leges, instituta, auspicia, prodigia, religiones observant 731, 739, quid multa, quum *θεῖοι* 731, dei pleni, apparent. Talis vir, dei plenus, i. e. divino spiritu afflatus atque perfusus, ne humana quidem sapientia carebit, *πεπνυμένα εἰδώς* erit.

B. DE REBUS HUMANIS.

X. De naturae humanae principiis.

Haec fere erant, quae de divinis rebus dicenda esse viderentur. Jam vero ad describendam hominis naturam, quaeque eo referantur, Opera et Dies persequimur. In his igitur homo, ut consentaneum est, ex animo et corpore constare primum putatur. Ad animi autem naturam compluria nomina referuntur, quorum primum est *φρένες*, quibus dimidia animi, dimidia corporis pars notatur, et hac quidem ratione, ut, nisi *φρένες* quoddam quasi fundamentum jactum sit, nulla omnino animi actio cogitari possit. Alterum *θυμός*, quo animi appetitus et declinationes, externis rebus motas, potissimum significari, recte judicetur. Tertium quod adjungitur, *νόος*, per se ipsa cogitandi et ratiocinandi vis, a *θυμῷ* non omnibus locis accurate distinguitur, nec suam notionem, a „*φρένες*“ principio diversam, ubique retinet. Ac re vera inter se confundi et commutari illas notiones, pluribus locis confirmatur, et id primum 107, ubi legimus: „*ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν*,“ quod idem est 27: „*τεῷ ἐγκάθεο θυμῷ*,“ 47: „*χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν*“ et 58: „*τέρπονται ἑὸν κατὰ θυμόν*;“ Jupiter deinde 55 Prometheo: „tu exsultas *ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας*,“ versu autem 373: „conjux nolito tibi *νόον ἐξαπατᾶν*,“ v. 491 denique: „*ἐν θυμῷ εὖ πάντα φυλάσσειν*“ et 531: „*καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ τοῦτο μέμηλεν*.“ Neque constantius inter *ἦτορ* et *κραδίη* a *θυμός* discrimen in carmine nostro reperies, nisi perversa judicii subtilitate. Nam dolore 360 *φίλον ἦτορ* atteri, egestatem esse *πῆμα θυμῷ* 366, 399 hominem tristem *θυμόν ἀχεύοντα* fieri, dicitur, eodem autem verborum connexu crebriores imbres *κραδίην ἀνδρὸς* anxisse *ἀβούτεο*, 799 sententia est, cui sensu simillima habemus in verbis compositis illis *θυμοβορεῖν* 799 et *θυμοφθόρος* 717, in quibus pro *κραδίη θυμόν* simili prorsus significatione poni, perspicuum est. Sed harum notionum si quaesiveris eas, quae ad significationis constantiam proxime accedant, proferenda sunt *νόημα* et *νόος*, cogitationis mentisque vires, a ceteris animi viribus differentes. Velut 129 argentei generis homines aureae aetati pares erant „*οὔτε φυὴν ἐναλίγκιοι, οὔτε νόημα*.“ Porro *ὀφθαλμὸς Διός* 266, 267 dicitur „*πάντα ἰδὼν καὶ πάντα νοήσας*,“ ubi *ἰδὼν* sensus externi perceptionem, *νοήσας* animi actionem et intelligentiam sine dubio indicat.

XI. De animo et corpore.

Deinde in hominis natura animus a corpore distinguitur: argentea aetate enim natos ab aurei generis hominibus *οὔτε φυήν, οὔτε νόημα* pares fuisse, 129 memoratur. Illa autem nobilis de accipitre et luscinia fabella eo valet, ut corporis vi superari animi probitatem indicetur 208, et id quidem non sine aperta animi indignatione, quippe contrarium dignius fore, aperte significatur. Hoc autem ita esse, intelligitur ex eo, quod ferreae aetati 152 cum maximis corporis viribus eximiaque proceritate et amplitudine maxima mentis

debilitas morumque pravitas attribuitur: „μεγάλη δὲ βίη καὶ χεῖρες ἄαπτοι ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν;“ sed tamen hac ipsa corporis magnitudine stultius abusi, nec eam animi virtute coercentes, misere perierunt. Similiter prorsus ferreae aetati, cujus tristissima conditio describitur, in immensis manibus justitiam omnem fuisse, sententia est, ita, ut contrarium probari facile sentias; contrarium esse, ut justitia animo ac mente judicetur, judicataque verecunde exerceatur 192. Huic autem sententiae commode primum annectitur haec: virum insipientem varia damna per vitam facere. Eum nimirum, novos deinceps amicos sibi cupientem, quum verum cognoscere non possit, externa specie decipi. Altera haec 321: opulentiam, bene sapienterque comparatam, majores fructus allaturam et diutius duraturam, quam vi et injuria coactam. Tertia denique: validissimum virum quacunque animi aegritudine, pravae uxoris consuetudine percepta, facile occasurum 704.

XII. De libero arbitrio.

Sed quum animi humani vis maximi aestimata sit, tum νόος ejus tanquam flos proponitur, quo certus rerum ordo et ratio, a diis constituta, cognosci possit. Hanc ultra rationem quaecunque non transgrediuntur, i. e. quaecunque pugnant nec contra aeternam Jovis legem, quamquam non semper protinus apertam, neque contra acceptam a majoribus consuetudinem, cujus consensus et convenientia, φήμη βροτῶν, hominum vulgari fama comprehenditur, ea libero hominis arbitrio subjiciuntur. Hinc igitur ἤθεα, θέμις, νόμος obsequium postulant, illinc ὄπις θεῶν observari debet, et observari tum quoque, quum mortalium mens consilia eorum capere non potest. Deorum nimirum consilio 16 „ὑπ᾽ ἀνάγκης ἀθανάτων βουλῇσι“ nonnunquam accidit, ut pravi homines fiant; nec quisquam Jovis consilium omni mentis praestantia effugere potest 483. Videlicet tales liberi arbitrii angustiae illa cum opinione, quam supra attigimus, congruunt, qua quidem opinione in Jove aeternam perfectamque rationem esse, illis temporibus homines nondum existimabant. Tali demum ratione perspecta constantem res gerendi normam adipiscentur et ipsis deorum praesentiis facilius carere poterunt. Tali vero ratione homines divinitatis ipsius partem accipiunt, i. e.: providam rerum scientiam atque cum ea sentiendi, cogitandi, res gerendi fiduciam, in qua vera arbitrii libertas versatur. At in Operibus et Diebus illa deorum invidia viget, qua non plenam in quemlibet usum, sed ratam pro singulis casibus rationem impertivisse hominibus existimantur, quasi metuentes, ne plus largiendo suam divinitatem insolentiae humanae proderent. Atque huic opinioni optime convenit, quod alio tempore aliam mentem Jupiter habere 483 fingitur, quare eam cognitu difficillimam hominibus esse. Sic homines quamvis in re aliqua gerenda optimo judicio et acerrima mente usi fuerint, eventus tamen haudquaquam certus erit, sed ad singulares res singulari deorum opera indigebunt 465, 475. Mercatores, verbi causa, viis maritimis quaestum facturos, quum tempestive navigationem ineant, sine sociorum naviumque detrimento esse successum habituros, sperari licet 664; sed quantumvis prudenter omnia inchoaverit navigator, tamen, si aliud Jovi vel Neptuno placuerit, protinus interciderit. Quoniam enim Jupiter Pandorae donatione omnia mala per mundum fudit, suam quisque miseriam aliquam vel sapientissimus laboriosissimusque homo, ut videtur, sortiri debet 105. Scilicet quam quisque habet mentis particulam, ea ad cavendum non satis est, quod ita significatur, ut Jovem aegritudinibus, usquequaque terrarum serpentibus, vocem privavisse legamus, ne ipsarum praenunciae esse possent. Sed rerum aequabilitas ne in mundo everteretur, felici-

tatum etiam immeritarum magnam multitudinem Jupiter per orbem terrarum divisit, cujus vicissim aliquam partem quisque mortalium sortiretur, quae opinio usque eo nonnullis locis patet, ut ipsa mens fortunae sors esse videatur; verum eandem mentem consuetudine, a mojoribus tradita, inferiorem haberi, compluribus locis monemur. Illa adeo consuetudo ipsa per se absque omni mentis judicio observanda est; neglectae quum deorum invidia, tum vulgari hominum fama gravissimae poenae exigentur 745, 760. Rursus autem libero arbitrio eo detrahitur, quod, nulla virtutis humanae habita ratione, ad libidinem dii mentem hominibus supponere dicuntur. Velut Hesiodus 649 rei navalis prorsus rudem esse propter usus et experientiae inopiam se profitetur, nihilominus tamen νόον Ζηνός, ad hanc rem pertinentem, Persae fratri aperturum, quum sibi Musae ipsae cantum impertiverint 562.

Jam si ea, quae de mentis humanae vi et de libero agendi arbitrio dicta sunt, in unum complectimur, primum omnem scientiam humanam res ipsas presse sequi et, quoad eas sequatur, constantia quadam haud carere, intelligimus; ubi autem hos fines transgrediatur, rationis constantiam et immutabilem veritatem, ut ita dicam, appetens, ibi vacillare. Ubicunque deinde hominis cogitatio extremam rerum rationem assequi non possit, deorum numina in auxilium advocari: his summa quaeque et scientiae et potentiae attribui. Iisdem autem fere finibus agendi licentiam terminari: quaecunque homines, cur exsequi ipsi non possint, haud intelligant, ea diis permitti ac tribui auctoribus. Attamen Operum et Dierum veram indolem quaerentibus haudquaquam praetereundum erit, quod in judicandis moribus maximum est, animi praestantiae plus, quam corporis viribus utique tribui. Nec desunt plane vestigia, quibus mentem humanam, praesentium rerum perturbationibus vacuam, soluto ac libero motu brevem, ut ita dicam, in perfectae rationis regionem volatum conari, cernatur. Nam disertis verbis 89, 208 dicitur, eum stultum esse, qui consiliorum laudem aut vituperationem rerum eventu unice metiri velit. Rerum ipsarum gravitatem earumque usum et experientiam quamquam vel eo summatim praedicari vides, quod, quo quis major natu sit, eo esse sapientiorem, 445 obtinetur.

Sed quum primum scire nostrum eo valet, ut finem aliquem, quem esse bonum utilemque nobis intelleximus, assequamur, ergo quum vires nostras ut agendo probemus, pellimur, tum virtus nascitur, vel, ut aptiore verbo utar, probitas; quum autem boni alicujus, virtute comparati, fructum percipimus, tum nascitur felicitas indeque beatitudo. Ita vero viam nobis munisse videmur, ut, quae describantur in Operibus et Diebus hominum virtus et vitium, exponamus.

XIII. De virtute et de vitio.

Mens igitur humana, νόος, ipsa actione declarata, fit virtus aut vitium, velut sapiens 12 bonam contentionem, omnis virtutis fontem, probabit, malam improbabit. Versu 293 is omnium optimus dicitur, i. e. et maxime idoneus ad res gerendas, et virtutis amantissimus, qui ipse sapiens sit; sed is etiam bonus erit, qui, quamquam ipse non sapit, tamen aliorum consilio obsequitur: qui vero nec ipse sapit, nec aliorum consilio obsequitur, is homo nequam est, ἀχρήϊος ἀνήρ. Sapiens autem, πεπνυμένα εἰδώς, 731 consuetudinem, a patribus traditam, ac deos colet et observabit, hoc est, θεῖος ἀνήρ apparebit. Contra insipiens et ad res gerendas parum idoneus fit inde etiam vitiosus: ut is, qui rem alienam injuria suam fecerit, ex lucri cupiditate mente captus appellatur 248, 322. Deinde malae contentioni qui se tradiderit, eum non libero motu 16, sed necessario deorum consilio coactum id fecisse, sententia est. Item

viri potentes, qui judices se corrumpi patiuntur, stulti appellantur; si quis denique orbis hominibus injuriam fecit, is 330 stultissime agit.

Quemadmodum autem sapientiam sequitur virtus, vitium stultitiam, sic ex virtute sequitur felicitas, ex vitio felicitatis contrarium, ut et felicitas et beatitudo hominis cum mente ac moribus arctissime cohaereant. Felicitatem vitae autem potissimum comparari manuum opera, ad sanam mentem directa, in Operibus et Diebus opinio est; constare eam et niti in satis magna rei familiaris copia; hominum eam potissimum industriam esse, ut vitae usus et commoditates quam copiosissime comparent comparatasque quam diutissime percipiant. Inde ex felicitatis opinione ac studio fit labor, labor ipse pro quadam virtute, pigritia contra vitium; unde deinceps diligentiae consequens felicitas, miseriae consequens pigritia accipitur. Harum argumenta sententiarum habentur: v. 303, ex quo dii hominesque pigris et otiosis irascuntur, v. 496, ubi fames et egestas ex pigritia oriuntur, ex 313 autem opulentiam virtus et gloria comitantur. Deinde nonnulli pigri homines malitiae se dediderunt 499; pigra spes 500 solatium non afferet egestati ejus, cujus ex pigritia egestas evenit; fures denique 605 pigro somno dediti appellantur. Sed quum miseriis et egestate possit fieri, ut ad diligentiam indeque ad virtutem homines impellantur, hae notiones varia ratione reciprocari possunt. Sed diligentia quique ea maxime declaratur, labor, in id maxime diriguntur, ut certa possessio comparetur: ipsa enim possessione demum homines suam sedem et dignitatem accipiunt, atque illa quasi pro loco est, quem, ut possit exsistere, a quoque capi necesse est. Ita quantum quisque possidet, tantum valet, ac rursus vicissim: quanto quis majorem diligentiam et virtutem exhibebit, tanto majorem habebit possessionem et existimationem 311. Hinc opes et virtutem inter se confundi et commutari 313, atque de augenda possessione elaborare et virtutis amantem esse, idem plerumque valere, haud mirum videbitur. Id vero ita esse, facile intelligitur his locis inter se comparatis: 237 inopia et egestas diligentiae incitamenta nominantur, quibus verbi causa homines impelluntur, ut navigationis periculis se exponant; sine labore alimenta non erunt 41; qui nihil possidet, is laborato, 391 laborandi officium a diis ipsis impositum est; adeo miseris hominibus 685 possessiones summa vitae bona sunt, ut earum causa vitam et valetudinem periclitentur; laborando homines divites fiunt 308; laboriosi diis accepti, pigri contra odiosi; denique qui rem suam diligenter curat 477, eum alii omni honore dignum habebunt.

XIV. De felicitate humana ejusque contrario.

Sed bonorum et malorum fines quamvis Jovis arbitrio constituantur, tamen bona hominum consilia in vita quotidiana prae ceteris necessaria esse, Opera et Dies significant, quippe in quibus consiliis vulgaris mortalium felicitas posita sit. Huic opinioni convenienter libero motu, ἑκών, pejerare 28 quidam dicitur; pigro homini nullam spem esse debere 500: qui bene metere velit, ei laborandum esse 391; fiduciam diviti, rerum suarum diffidentiam mendico convenire 315; ante peractos labores non esse quiescendum 589; virum denique diligentem non aliorum opem esse imploraturum, potius ipsum aliis opitulari posse 477.

Porro virtutem humanam quasi quandam pugnam, vitam ipsam autem bonis et malis mixtam ab Hesiodo existimari, quum ex iis perspicuum est, quae adhuc disputata sunt, tum multis aliis carminis nostri locis confirmari poterit. Nam ante virtutem, ut fere verba sonant, sudorem dii immortales posuerunt 289; longa et ardua et aspera ad virtutem ducit via, ad

vitium facilis et commoda; innumerabilia mala inter homines dispertita; plena aerumnarum terra, plenum etiam mare. Atqui horum fons laborum ex Promethei illo vitio (ὕβρις) ducitur, cujus ut quondam commodum, sic postea incommodum totum genus humanum cepit. Contra pristini temporis quo major virtus, eo major felicitas fuit: neque olim virtus quidquam aliud hominibus, nisi perpetuus vitae nunquam interiturae fructus 110. At nunc etiam (talis enim hominum Hesiodiorum opinio est) virtus et felicitas inter homines reperiuntur, sed eae a gravi labore haud sejungendae. Opera et labores sane necessaria nunc sunt, sed mala necessaria 108, 157. Ante omnem fere hominum memoriam humana eadem atque divina natura fuit atque forma 108, ex qua continui otii et non laboriosae voluptatis conditione impia insolentia excidit genus humanum, quoniam suum jus Jovi praeripuerunt; is vero poenae loco instituit, ut posthac terra, nisi magnis manuum laboribus coacta, victum ederet 19, 41, 48. Inauditum illud fuit praeteritis aetatibus proverbium „peractis laboribus otium jucundum“ 589, nec opus fuit diligenti horae matutinae observatione 578, quum eadem omni hora felicitas perciperetur; nullius diei initium hominibus et belluis jugum laboriosum imposuit 579, nulla aestas membra fatigavit, quum ver aeternum permaneret 664. Unici heroes nihil laborantes in beatorum insulis omnibus copiis abundant usque ad novissimum tempus 173. Ex hoc vero felicitas mortalium cum virtute usque lapsae sunt, dum tota praesentia, vitiis et cupiditatibus sordidis turbata, viri justi laborarent 190, scelesti triumpharent 271, vitium facilem, difficilem virtus aditum haberet 287, omnia ita perversa et detorta miscerentur, ut omnis prorsus humanitas sublata fuisset, nisi deorum benignitas intercessisset, atque haec poetae nostri 273 spes est, Jovem universarum rerum interitum non admissurum esse. Hac eadem benignitate factum esse videtur poetae nostro 217, ut justitia, universe si loquantur, prae scelere valeat, et ad virtutem ascensus, quamvis sit initio difficilis, fiat tamen facilior, quum primum ad altitudinem quandam pervenerint 291.

XV. De conscientia hominum.

Quare quum principali illo Promethei peccato animorum tranquillitas rerumque humanarum omnium aequabilitas summe perturbatae fingantur, hominum in una hac re salus est, ut in cunctis rebus modum tenere, *μέτρα φυλάσσεσθαι*, studeant 306, 694. Quod *μέτρον καιρός* etiam nominatur, quum ejus momentum in tempore est; *καιρός* autem 694 ex omnibus optimum dicitur indeque adulterum 329 *παρακαίρια* facere. Talis autem aequabilitas rerum quum in animi tranquillitatem et aequitatem vertit, tum oritur conscientiae vis, quae *αἰδώς* ab Hesiodo nominatur: priusquam igitur aliquis fraudem committere audet, fieri non potest, quin is *ἀναιδείῃ* corripiatur 324, qua fures 359 confidunt. Idem deinde pudor, ubi ira, cur excitetur, causa est, in *νέμεσιν* convertit, h. e. in justam iram: si enim conscientiae et justae irae vis inter homines hebescit, omnia diremta dissolvuntur, nec ulla communis interitus defensio relinquitur. Ita *αἰδώς* et *ὕβρις* contraria sibi invicem positae sunt: haec enim cum stultitia et vitio consociatur 134, 146, 191, 214, 238.

XVI. De vita et morte.

Felicitas igitur hominum ac beatitudo in eo est, primum quod sunt in ipsa vita, deinde quod variis ejus voluptatibus fruuntur; voluptates autem sine possessionibus cogitari non possunt. Quare si vitae exitus appropinquat, prae ceteris id damnum habetur, atque senescere onus est. Praeteritis igitur aeternae felicitatis temporibus fuisse nec senectutem, nec mortem

persuasio est 108. Homines enim aurei generis immutabiles manibus pedibusque 114 permanserunt, et quum tandem in hac vita esse desierunt, tum et facillimum discessum, et post eum aliquam divinitatem habuerunt. Argenteo deinde generi jam brevior fuit 137 et temporum cursu deinceps minutatim et gradatim contracta, ut ferrea aetate 181 cum canis temporibus nascerentur, misera autem praesentia 418 morti omnino deberentur, *κηριτρεφεῖς ἄνθρωποι*. Quamobrem quum tanti homines Hesiodii vitam faciant, quo vita in periculum adducatur, id malum esse censent, velut morbos 92, aegritudines, dolores, quibus senectus vitaeque exitus maturentur. Similiter mors tristi taetraeque nocti adjungitur 166, quodque mortis admonet, omni serenitati et laetitiae contrarium ponitur, ut funebria. E contrario ad conservandam vitam omnes labores 646 homines subeunt; quin etiam, ut victum ad eam necessarium compararent, non pauci ad malitiam declinaverunt 499; postremo quum undis perire miserrimum nuncupetur, aliam quamlibet necem et ipsam satis habuisse horroris, recte conjiciatur. Ita, quod alibi etiam confirmari videmus, quo laboriosior vita putetur, eo majore cupiditate paucissimas angustissimasque ejus voluptates arripi eoque majore aviditate ipsam retineri, id poetae nostri judicio comprobatur. Eidem hic sententiarum ordo summe placere videtur: retineri primum vitam et ali largo victu magnaque possessione, tum ornari opulentia, postremo liberorum successione cuidam aeternitati tradi.

XVII. De possessione bonorum.

Progredimur nunc ad brevem explicationem earum, quae de possessione bonorum in Operibus et Diebus inveniuntur, sententiarum. Omni igitur possessione carere, i. e. mendicum esse, summa calamitas est 399, quae quidem vel hominis culpa 496, vel Jovis voluntate, omnium fortunarum rectoris, accidere potest. Propterea ne cui exprobrator mendicitas, id quod insolentiae est 717. Qui nihil possidet, is laborato; laborare nemini dedecori est 315. Bona contentio fovetor 24, quam Jupiter ipse in agro colendo esse voluerit; minus sectantor quaestum maritimis itineribus parandum: quem qui cupiverit, is ingrata necessitate coactus erit putandus, ut Hesiodi pater 638, 646. Quicunque autem aliquid semel comparaverit, cum eo, qui plus possidet, honeste certato 24, 30; nam pauca paucis ubi addiderit, brevi tempore satis magnam rem paraverit 36. Quam qui nactus erit, virtutem inde et gloriam habebit 300; nec erit, cur ipse aliorum opibus inhiet, ab aliis potius in auxilium vocatur 478. Ad hanc animi securitatem ut perveniatur, maxima parsimonia erit adhibenda. In ipsis servis, utrum liberos habeant, necne, haud parvi faciendum, quum hi domini sumtibus sint victuri 603; nec canes quidem, nisi ad custodiendam domum necessarii, alendi 604. Commendantur etiam coenae, communi sumtu faciendae, parsimoniae gratia 703: eas enim, praeterquam quod jucundae sint, parvi constare. Quid quod in puerorum numero 379 sumtuum ratio habetur: unicum enim filium, qui rem familiarem accipiat acceptamque amplificet, relinqui heredem, optabile esse. Plures si relicti sint, num commode ali possint, magis jam dubium et in singulari Jovis gratia repositum esse 379; ut autem sint relicti plures, eam spem solatio esse, fore, ut conjunctis eorum laboribus res familiaris breviore tempore augeatur 380. Vicinorum denique amicitiam eam ab causam magni momenti esse memoratur, quod ipsa vicinitate vel commoda, vel incommoda capi possint 346.

Hinc intelligitur, possessionem apud Hesiodum omnium rerum cardinem haberi virtutemque, si non post nummos, cum nummis certe haberi, id quod sententia illa 686, qua

„χρήματα πέλεται ψυχὴ δειλοῖσι βροτοῖσι“ luce clarius perspicietur. Quamquam totus ille locus vix legatur, quin, quod hoc ita sit, quendam animi dolorem subesse, sentiamus.

Sed etsi summum bonum certa possessio putatur, (domi enim aliquid asservatum haberi melius est, quam alibi 365) vehementer tamen erres, si in Operibus et Diebus morum bonitatem opprimi inhonesto lucri studio censeas. Contra turpe lucrum fugiendum tanquam pestem esse, 352 aperte dicitur. Nam ut honesta rerum copia vitaeque commoditas justis viris suppeditetur 229, 237 virtutis praemium, sic inhonesti lucri studium, stultitia et dementia excitatum 323, rei familiaris jactura a diis puniri 341. Similiter ut Jupiter beatorum daemonum multitudinem, divitias justis mortalium largituram, per orbem terrae dispertiverit, quo munere honorari eos legimus, sic aliorum spoliationem mortem afferre 356.

Praeterea bonorum, quae est apud Hesiodum, possessione ali solummodo vitam ac sustentari, non augeri et decorari, ut apud Homerum, intellectu facillimum est. Nimirum Homerici et nobiles, et reges, vitae laborem ignorant. Hi enim, omnibus bonis afluentes, instar deorum continuo otio, nisi forte bella geruntur, aetatem agunt, quo otio dignitatem et splendorem ostendendi facultas datur. Is autem splendor vel in vulgaribus viris, ut in Eumaeo, refulget, quantum quidem cum illis rem habent, ut hi quoque, soluti humilioris vitae curis, vivant. Fundi autem in Operibus et Diebus quoque maximi aestimantur; nam et domum agrumque possidere λαούς, carminis nostri sententia est 405 „οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα ποιήσασθαι,“ et θῆτας, quorum ad agros colendos servitiis domini utuntur, domus possessores esse non oportere, sed ἀοίκους 602, unde domum habere solitos esse eos, qui mariti essent, conjicere licebit. Agriculturam vero Jovem ipsum 19 instituisse; mercaturae operam dare fame aut aere alieno non oppressum, maximae dementiae esse judicatur 646.

XVIII. De matrimonio et de re domestica.

Exile sane admodum et tenue matrimonium in Operibus et Diebus descriptum reperies. Nimirum amoris florem tum maxime vigere videmus, quum rerum ad vitam necessariarum satis magna est copia. Ubi vero cibi et potionis vestitusque inopia est, ubi animus variis curis distrahitur et, misera vita ut sustentetur, omni lucro inhiare assuevit, ibi amoris honesti deliciae aut non efflorebunt, aut, brevi corruptae, celeriter deflorescent. Profecto et amoris plenitudo nobilem vitam requirit, tenuis ejus umbra ignobili et servili contenta est. Atqui primum injuria Hesiodi a fratre accepta, miserrima deinde familiae fortuna, quae patris ex Cumis Aeoliis in Boeotiam migrationem coegit, eae matrimonii speciem, a poeta descriptam, admodum obscuravisse videntur. Nec tamen ipsi solum Hesiodo, injuria curisque affecto, tristitia illa erit adscribenda, sed, quod in Pandorae fabula, communis poenae loco introductae, verum latet, id ab omnibus omnium temporum aequalibus facile perspici potest. Viri enim, dum sibi unice prospiciunt, vitae curas et pericula facile evitant. Aliam, ubi uxores duxerunt, conditionem protinus habent: quum enim ampliorem tunc societatis humanae locum capiant, majora etiam dantur spatia, quibus voluptates doloresve accipi possint. Quamobrem, si matrimonium jungere aliquando omnibus viris necessitatem esse, divinitus impositam, arbitrantur, idem matrimonium sine dubio est, quo omnia mala, in Pandorae dolio recondita, promptum in virorum securitatem impetum habeant. Quin is etiam, qui matrimonii periculum uxorem repudiando effugere sibi videtur, aliquantisper vexabitur naturae desiderio, quo ad concubitum impellitur. Hoc autem explere bestiarum consuetudine, titillationi raptim satis faciens, communi aetatis

suae judicio et more, diuturnitate robusto, prohibetur. Huc accedit, quod caelebs multis voluptatibus re vera excluditur, pluribus etiam excludi se, ignorantia et secreti quibusdam illecebris inductus, opinatur, qua animi perturbatione accidit, ut ne iis quidem voluptatibus frui possit, quas liberioris et solutioris vitae esse existimavit. Itaque et maritos magnam molestiarum molem in se suscipere, et caelibes multis carere voluptatibus, persuasio oritur, ut alterutrius conditionis optionem si cui permiseris, ei certam curam injunxeris. Sic optime sane intelligitur, quod ab Hesiodo portentum est, effugere Jovis poenam, Pandorae dono constitutam ac Promethea insolentia meritam, posse neminem. Prometheus autem pro toto hominum genere est ad altiorem perfectionis gradum ascendere cupientium. Hi enim surrepto igni ut excolendi vitam, mores, ingenii facultatem ipsiusque culturae voluptates, sic dolores et incommoda sumpserunt: instituto enim matrimonio, cujusvis culturae initium instituitur. Itaque majoris animi ingeniique colendi studium mortales quondam impulit, ut pristinam et incultam tranquillitatem libero motu relinquerent. Quanti autem ab Hesiodo feminae aestimentur, ex illa de Pandora fabula facile cognoscitur: habentur scilicet necessaria mala. Sane insunt in feminis divinae artes ac virtutes, tamen multa etiam, quae iracundiae deorum admoneant. Quare feminis qui confidunt, ii fraudatoribus confidunt 375; nam et hi simulate promittunt, quae nunquam praestituri sint. Sic bona uxore nihil melius, pejus nihil quam mala est: ea enim validissimi viri corpus et animum pessum dabit 705. Porro Homerici matrimonii naturam et conditionem cum Hesiodio si comparaveris, non parvam dissimilitudinem reperies, ex utriusque poesis dissimilitudine aptam. Intra angustos videlicet Hesiodiae domus parietes regiam Homericae dominae moderationem frustra quaeres: largae rerum copiae ubi affluunt, concordia honestaque dignitas facile observabuntur. Nobilitas deinde Homerica parietes domesticos non admodum desiderat, nisi ut variis deliciis per quietem fruantur, quibus et ipsis feminae interesse non solent. Hinc cum rariores sint uxoris cum conjuge conventus, rariores etiam erunt contentiones, simultates, jurgia. Praeterea magnis dotibus virgines Homericae in matrimonium ducturis aestimatiores sunt, ut jam hinc earum quaedam caritas et existimatio oriatur. Matronae vero, apud Homerum introductae, facilem et commodam vitam agunt, laboriosis operibus prorsus vacuam, ut, etsi non sufficiant ad laborem vires, bilem maritis non statim moveant. Contra matronae Hesiodiae, quod multum elaborantium virorum adjutrices putantur, ejusdem victus cultusque participes, idcirco conferre debent, ut, quantum consumant, tantum mereantur. Atqui quoniam salus domestica sine conjugum concordia esse nulla potest, uxores virorum imperio ac voluntati se subjiciunt, et quoniam sine corporis viribus nec laborari, nec vero agri coli possunt, in uxoribus deligendis maturitas ac robur maxime requiruntur. Virgines igitur ex parentum domo post quintum maturitatis annum viri circiter triginta annos nati 519, 696 in matrimonium ducunt. Virgines enim esse, quae ducantur, idcirco optabile videtur, ut disciplina et imperio conjugis facilius assuescant 699. Haec autem doctrina, qua Hesiodiae uxores uti existimantur, sine maximo animi consensu cogitari non potest. Talis igitur consensus, talis communitas connubio Hesiodio dignitatem suam impertit: talem in Operibus et Diebus expressam videbimus. Nullis enim rerum angustiis, nulla acerbitate connubium solvi posse, opinio est: conjux, uxor, liberi egestatis, si qua erit, miserias aequis partibus perpetiuntur 399. Ac primum quidem matrimonium die fasto jungendum est 801. Quoniam deinde animorum consensus ad bonum connubium requiritur, non erit

idem, utrum vicini filia, penitus cognita, a viro ducatur, an aliena aut peregrina: alienam ducere periculosum invidiosoque vicino triumphum paraturum putatur 700.

Liberi deinde quamvis curas parentibus facessant 376, progenies tamen felicissimum habetur, carere ea non infelicissimum solum, sed etiam deorum poena 244; progenie pios homines a diis beari 235, idque maxime liberis patri similibus 182.

Servorum etiam connubium e versu 602 conjici liceat. Ibi enim ad augendam salutem domesticam commendatur servus, qui liberis careat, ejusdem sortis serva, ne victus sumtuosior fiat; 405 item agricolae, ut comparet servam *οὐ γαμετήν,* boves quae curet.

Unum virum plures uxores habere solitum esse, nusquam indicatur; sed adulterium facere (cum uxore germani fratris) in iis peccatis numeratur, quae prae ceteris a Jove puniantur. Alterum matrimonium usu venisse e versu 825 sequitur, quamquam odiosum fuisse novercae nomen eo intelligitur, quod dies fastus mater, dies nefastus noverca nominatur.

Omnia vero, quae ad matrimonium et ad vitam domesticam referuntur, gravissima sanctissimaque habentur, velut proprius focus 734. Contra ferreae aetatis aequales, in quibus describendis omnem malitiam et pravitatem poeta exhausisse videtur, omnes illas pietates contempsisse, existimatur 184: frater non carus fratri, parentes seniles non coluntur, sed graviter increpantur omnique inopiae produntur. Omnis autem familia, omnis cognatio in Jovis praesidio est: namque pejerantium *γενεήν* Jupiter obscurat, jurisjurandi sanctitatem colentium magis magisque amplificat 284. Hinc apta est opinio, patrum virtutem ejusque praemia non minus, quam vitia eorumque ultiones hereditate ad posteros transire.

XIV. De hominum usu et consuetudine.

Virtutem inter et mentem humanam quae ratio intercedat, quum supra expositum sit, huic omnino conveniens est, in omni hominum usu et commercio, cujuscunque generis est, angustiorem proprii commodi aestimationem apud Hesiodum plurimum valere, virtute ipsa afferri utilitates, ipso vitio incommoda. Sic malum sibi ipse parabit, qui aliis malum paraverit, et pravum consilium ei, qui auctor fuerit, maxime nocebit 265; Jupiter enim ultor aderit. Simili ratione vir sapiens virtutis suae praemia cum eo tantum partitur, qui suae cum ipso partiri paratus est. Par pari igitur referre sapientis est 353: amare amantem, visentem visere, dare danti, non dare ei, qui ante non dederit. Quin etiam injusto homini, id quod nonnunquam accidit, si omni tempore melius esset, quam justo, nec pater nec filius virtutem amplius sectarentur 270.

Quare illa virtus, quae est in animi calliditate, quaeque fraude, astutia, judicio parum sibi constanti continetur, qualem Ulixi Homerus attribuit, ea in Operibus et Diebus recurrit. Talis virtutis Mercurius est largitor 67, quippe quae vel in angusta Hesiodia vita, ubi de possessione et quaestu plerumque agitur, vel maximos usus et commoditates afferat. Quin scribendi etiam carminis ansam laesum hereditatis jus poetae nostro praebuit. Propterea prosperrimum diem recte praedicant eum 788, quo natus puer *κέρτομα βάζειν, ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους κρυφίους τ' ὀαρισμούς* sortiatur, quippe unde virili aetate quotidie fructum sit percepturus. Sed, quod magis etiam quaestuosam virtutem indicat, versu 371 aperte monetur, ne cui nimis credatur: vel in summis vitae necessitudinibus, ut in fratribus atque in uxoribus, cautionem et suspicionem esse adhibendam, ne forte decipiant. Sic vicinis versute quemvis uti oportere 351, ut, rerum necessitate oppressus, ejus auxilium implorare possit. Non

diffidentia enim solum, sed etiam fidentia 372, damna accipi hominumque exitia fieri posse. Eandem igitur hoc loco etiam, quam supra jam vidimus, modestiam, ὕβρεως contrarium, ad parandam vitae salutem commendari videmus, eamque virtutum omnium summam esse, hoc etiam loco confirmatur. Namque beneficia, singulis hominibus divinitus data, eo tantum salutaria fieri, quod iis bene utantur, atque ipso hoc usu demum intelligi, qualis et quanta sit propria in usu et consuetudine aliorum virtus et sapientia. In usu etiam ipso liberum hominis arbitrium unice ostendi posse videtur. Sic prorsus loquendi facultatem, prudenter si adhibeas, summum fere bonum hominibus esse: incommodorum et malorum fontem, si abutaris; linguam videlicet *κατὰ μέτρον* moveri oportere 719. Sed proprii commodi studio quamvis permultis locis homines ad agendum impellantur, id tamen nec unum nec summum est, quo ducti res gerant. Alterum, et id quidem majus, existit ad justitiam incitamentum Jovis reliquorumque deorum comprobatio, quod hi justitiae *νόμον* hominibus, bestiis violentiae constituerunt 276. Quare quum justitiae contrarium injustitia sit, ex injustitia autem omnis discordia oriatur, propterea omnes omnis generis simultates vitiosae sunt, ut voluntati divinae contrariae 14, 144, honestae aemulationis autem non vitiosae 24. Inde argentea aetas, quod ejus aequales insolentia abstinere non possent, dignitate paululum infra auream putabatur 134, multo inferior aenea violentiae et belli studiosa 14, 144, 189, genus heroicum et ipsum bello pestifero et foeda discordia interiisse 161. E contrario pax et concordia a Jove praemia impertiuntur 228, 229. At si qua forte discordia orta est, ex mente *Δίκης*, Jovis filiae, solvenda videtur 36. Prius igitur quisque, ne faciat injuriam, caveto 710, factam omni modo reparato; sin quis a quopiam prius offensus erit, ei, qui offenderit, placabilem se praebeto. Quousque denique pateant mutua hominum officia, si quaestio oritur, in proximum quemque cognatione et caritate plurima beneficia esse conferenda, aperta sententia est. Primum igitur sibi quisque proximus, quod supra fusius expositum est: ergo sui ipsius ratio cuivis prae ceteris habenda. Vel id, quod diis, et quod ceteris hominibus praestatur, sine propriae salutis largaeque remunerationis ratione non est. Quantum deinde propriae rei familiaris gratia vicini sint respiciendi et aestimandi, perspicue significatur 346. Amicus fratri postponitur, ut cognatione propiori 707. In amicis autem deligendis cautionem necessariam esse 713: simulata specie enim homines facile decipi, ut pro bonis malos sibi conjungant. Sed delectu semel facto veros ac sinceros esse amicos opertere 709. Hospitum nec nimium nec nihil esse excipiendum 715. Usum et consuetudinem aliorum hominum jucundam esse, ita ut a gravioribus officiis avocare animum possit 493; sed coena, communi cum aliis sumtu parata, propter ipsam jucunditatem commendatur viris, feminis decoris gratia dissuadetur 717, cf. 115 et 704. Externis vero non minus quam indigenis justitiae officium esse praestandum 327, memoratu dignissimum esse judicabis, Homericam si contuleris opinionem, qua opinione ξεῖνος, nisi forte *ἱκέτην* se profitetur, sine jure esse fingitur. Sed propter hanc opinionem deteriores indicari hominum Homericorum, quam Hesiodiorum, mores, ne temere censeamus, duabus rebus monemur. Primum enim ξεῖνος qui 327 nominatur, eundem esse alienigenam, necessario concludi non potest, quoniam sancto hospitii jure exceptum aliquem hoc loco dici, non absurdum est. Deinde ut vocabulo ille externae patriae significationem subesse putemus, tamen, unico loco tam gravem sententiam confirmari, haud judicamus. Quid enim dicas, si quis solitariam illam opinionem ideo ab Hesiodo propositam esse affirmet, quod ipsum olim *ξεῖνον* se a

Boestis benigno hospitio exceptum meminerit, totius aetatis suae sensum et mentem eam fuisse, haudquaquam affirmans.

XX. De fama populari.

